



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 1. An Barillus sciens postea esse minuendum valorem pecuniarum
argentearum possit licitè Dagoberto mutuos dare centrum illos fl. ut eos
sibi restituat juxta valorem, quem habebant tempore ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

mittat, censetur ipsi mutuo dare, potestatemque facere alienandi, eam negotiandi &c. arg. l. si sacculum, ff. depositi; ac proinde ex eo tempore, quo mutui, vel quasi mutui con-

tractus intervenisse censetur, dominium, atque adeo ipsum etiam rei periculum ad depositarium spectet.

C A S U S X V I I .

De mutuo dato cum præscentia valoris augendi, & minuendi.

Barillus cujusdam Principis Consiliarius sciens ex mandato Principis pauplò post valorem monetarum aurearum auctum iri; argentearum verò minuendum, Donato mutuum petenti dat centum aureos; Dagoberto verò centum fl. ea conditione, ut post annum uterque reddat tantum, quantum accepit, nulla facta mentione de valore monetarum augendo, & minuendo, eò quòd hoc secretum à Principe sibi communicatum revelare non possit,

QUÆR. I. An Barillus sciens postea esse minuendum valorem pecuniarum argentearum possit licitè Dagoberto mutuos dare centum illos florenos, ut eos sibi restituat juxta valorem, & æstimationem, quam habebant tempore mutationis, non monito Dagoberto de variatione pretii futura?

QUÆR. II. An Donatus teneatur reddere centum aureos in specie, cum post auctum aureorum valorem restituendum est mutuum, an verò satisfaciat reddendo æqualem valorem?

QUÆR. III. An licitum sit aliquid accipere ultra sortem pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus, v. g. ante annum &c.

105 **A**D I. Q. negativè respondent Salas *dub. 25. n. 3.* arbitantes talem contractum usurarium fore, nisi mutuans ante diminutionem valoris

Azor *3. p. l. 5. c. 7. q. 9.* A. bulens, Gabr. aliique apud R. P. Leonardelli Soc. Jesu, P

loris posset emere illâ pecuniâ aliquid æquivalens.

¶ 106 Affirmativam tamen sententiam meritò tenent Idem Salas l. c. Lugo *D. 25. Sect. 7. Less. l. 2. c. 21. n. 44.* Bonac. *D. 3. q. 2. p. 5.* Reginald. *l. 25. n. 345.* Sylvest. *v. usura 1. q. 19.* Diana *tr. 8. de contract. Res. 25.* & alii censentes talem contractum adhuc justum, & licitum esse. Prob. 1. quia ea pecunia, quæ mutuò datur, verè tunc talem valorem habet, ac retinet, & pro hoc tanto valore debet mutuatarius postea reddere æqualem valorem, seu tantum, quantum accepit. Nec obest, quòd interea valor pecuniæ acceptæ decreverit; nam decrementum hoc non mutuans, sed mutuatarius subire debet, quia valor pecuniæ non perit mutuanti, cum non pereat tempore, quo pecunia erat mutuantis, sed perit mutuatario, quia perit tempore, quo pecunia erat propria mutuatarii, utpote qui illius dominum acquisiverat per mutuum acceptum; valor autem rei Domino perit.

Conf. quia mutuans ita mutuando utitur jure suo, & tradit pecuniam tanti valoris, ut recipiat pecuniam æqualis valoris, & consequenter non accipit aliquid supra sortem, cum tantum sit recepturus, quantum tradidit. Nec obstat, quòd defectus diminuti pretii debeat à mutuatario compensari; quia per hoc mutuans non plus recipit,

quàm dedit, sed æqualem valorem qualem habebat, & retinebat pecunia, cum mutaretur. Nec obest præscientia privata, quam mutuans habet de decremento pecuniæ futuro, cum eam nec teneatur, nec possit manifestare ratione secreti servandi. Quod Conf. 2. à pari; nam etiamsi venditor sciat futuram pretii remissionem, seu diminutionem, & emptor nesciat; nihilominus potest res suas absque injustitia vendere pretio currente, ut docet communis DD. cum S. Thom. *q. 77. a. 3. ad quantum;* quia res justè vendi potest juxta communem æstimationem pro tempore vigentem, & usitatam, hoc ipso, quòd justum pretium desumatur vel à Principis lege, vel à communi hominum æstimatione; nec privata scientia venditoris communem sensum, & æstimationem mutat, sicut non mutat privata scientia emptoris, alioquin emptor non posset emere pretio currente, si sciret pretium postea notabiliter augendum, quod falsum esse constat exemplo Josephi Patriarchæ *Genes. 41.* Ergo &c.

Ad 2. Q. si Barillus centum aureos mutuos dedit sine expresso pacto, ut reddantur in eadem omninò specie, & ejusdem bonitatis, tunc non esse obligatum, auctò pretiò, ad centum aureos in specie restituendos, sed poterit diminuto numero aureorum æstimationem detrahere. Ita Molina *D.*